

ma ad alia extendatur: sic enim possent concludere, quod Deus non potest facere quod mortui resurgent, & quod cœci ad visum reparentur. Itaque existimaverit Thomas, Angelorum naturæ, cum sint actus irrecepti, solam nostrarum mindividuum multiplicacionem repugnare. Quæstio est, quæ pender ex alia de principio, quod vocant, individuationis: quod alter aliquerque, salva catholica fide, consuetuere, integrum sibi arbitrantur Metaphysici. Hinc Censura Parisiensis levitas innesceret, si philosophicas innixas theses notaferet.

IV. At verborum tortici, quem præferunt articuli damnati, hærendum non est. Stirpes, ac intimam scrutari medullam oportet. Principium individuationis multiplici inquinatum errore obtrudebant scoli, ac variis homines, articulorum adsertores. Putre commentum est, quod effert articulus 117. Quod scientia magistri, & discipuli est una numero. Ratio autem, quod intellectus sit unus est, quia forma non multiplicatur, nisi quæ educitur de potentia materia. Ita nempe individuationis principium petulantes Academicci quidam in materia reponendum esse vulgabant, ut ex eadem educi formas illas oporteret, quæ numero different. Inepta, & impia, & falsa excogitatio; ex qua tamen thesim inferebant per sele innoxiam, pluribusque Theologis, & Philosophis probatam. Quod quia intelligentia non habet materiam, Deus non potest facere plures ejusdem speciei. Non ita Aquinas, non ita cœteri ejusdem cum ipso sententiae Auctores; qui de numerica rationalium animorum differentia disceptantes, ex eo individuationis principio illam repetunt, quod est materia, vel ordo ad portiones materiae, non ex qua educi debeant, sed ad quam ordinantur, & cum qua uniuntur, ad humanæ naturæ singularia individua efformanda. In eo quod Aquinas amplexus est, Philosophie sistemati, nihil est absurdum, quod ecclesiastica vel theologia censura notari debeat. Sordes alias, quibus principium individuationis inquinatum promeruit censuram Parisensem, præfatus indicat articulus, magisque expressas enunciatis articulus 117. Quod individua ejusdem speciei differunt sola positione materiae, ut Socrates, & Plato: & quod forma humana existente in utroque eadem numero, non est idem numero sit in diversis locis. Avertosticis commentis imbuti adsertores, propugnabant numericam & individualem, quam dicimus, differentiam in ea solum forma locum habere quæ de potentia materiae educitur: quod si forma datur quæ non educatur ex materia, sola tunc positione ejusdem materiae constituti individualia, eademque sola positione materiae diffiri sub una specie: formam videlicet ipsam unam omnino remanere, numero vero distinctas portiones, ac diversis materiae portionibus unam inesse eamdemque formam. Hinc vulgata apud illos delira sententia, unam numero magistri Scientiam esse & discipuli, & unum numero intellectum, quem agentem, & menem vocabant, in omnibus naturæ humanæ individuis. Ad rationales animos quod attinet, dissidebant. Fatebantur alii, non eos educi ex potentia materiali, sed ex nihilo procreari a supremo Numinis: unde insana iporum erat consecratio, formam humanam exstere in utroque (Socrate, & Platone) eandem numero, numerica differentia portiones dumtaxat materiae afficiente. Eo dementiae devenerant alii, ut contenterent formam hominis non esse ab extrinseco (verba sunt articuli 105.) sed educi de potentia materiae, quia aliter non esset generatio univoca: quo ex impio principio veram conclusionem eliciebant, quæ numericam statuit inter ipsas rationales animas differentiam. Hæc sunt impia, & infana commissa, quæ Parisiensis nonnulli vani ac petulantes sophistæ tradebant in scriptis, docerantque in scholis: à quibus toto celo, ac latiore etiam intervallo dogmata distant quæ ab Aquinate de principio individuationis tradita sunt. Illa vero, non ista, ferit Stephani Parisiensis Episcopi censura.

IV. Ad Angelorum, quæ intelligentia separata passim appellantur, præsentiam localem theses peritent, quæ sequuntur. Hujusc prelacia fundamentum proximum, ut ajunt, docet Aquinas, reportandum esse in ipsa eorum operatione à substantia distincta: quod reprehensione dignum, & censura Parisiensi damnatum, & mulis quibusdam visum. Rem hanc diligenter opera expendamus.

Ex S. Thoma P. I. quæst. 111. art. 1.

77. Quod si esset aliqua substantia separata que non moveret aliquid corpus in hoc mundo sensibili, non clauderetur in universo.

204. Quod substantia separata sunt alicubi per operationem: & quod non possunt moveri ab extremo in extremum, & in medium, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut in extremitate.

218. Quod intelligentia, Angelus, vel anima separata nusquam est in loco secundum substantiam, nisi in loco secundum substantiam.

219. Quod substantia separata nusquam sunt secundum substantiam.

Ad.

Dicendum, quod Angelis convenit esse in loco. Equivoce tamen dicitur Angelus esse in loco, & corpus. Corpus enim est in loco per hoc quod applicatur loco secundum contactum dimensione quantitatis: quæ quidem in Angelis non est, sed est in eis quantitas virtualis: Per applicationem igitur virtutis angelicæ ad aliquem locum qualitercumque dicitur Angelus esse in loco corporeo.

Adnimadversiones.

1. Postremi duo recensiti articuli pugnant ex diametro contra Sancti Thomæ doctrinam. Decernit iste quod Angelis convenit esse in loco: in illis adseritur, intelligentias, Angelos, animas separatas, aut & absolute, universum nusquam esse, aut eas nusquam esse secundum substantiam. Articulorum sensum nitide explanat Aquinas, cubantemque errorem divinæ fidei aduersum detegit in I. dist. xxxvii. quæst. 111. art. 1. Opinio est Philosophorum inquiens, quod intelligentia, vel Angeli nullo modo sunt in loco. Ponunt enim, quod intelligentia est quædam efficiencia denudata à materia, & ab omnibus conditionibus materialibus: & quod intelligentia moveat orbem per animam ejus, conjunctam ipsi orbi. . . Et ideo nullam applicationem ad corpus, vel ad locum habet, quia non immediate operatur circa aliquod corpus. Hæc autem opinio hæretica est, quia secundum fidem nostram ponimus, Angelos immediate circa nos operari.

2. Præsentia localis Angelorum comparatione cum modo facta, quo corpora sunt in loco, theologum, aut philosophicum dogma Thomæ est: equivoce dici Angelum esse in loco, & corpus. Solidissimam hanc licet paulo uberiori explanare doctrinam. Loci notio, quæ ad præsentem de Angelorum in loco existentia questionem pertinet, non ea intelligitur, quam Recentes plerique, in epte sane, eamdem faciunt cum Dei immensitate, tam intra, quam extra mundi universitatem, virtualibus quibusdam quodammodo partibus diffusa. Neque rursum intelligi locus debet, quem alii in re quædam constituunt, quæ neque spiritus est, neque corpus, extensa, penetrabili, infinita, æterna, independente. Hujusmodi loci notiones neque thesuum damnatarum adsertores, neque Sanctus Thomas, cœterique Philosophia Aristotelicæ addicti, aut sibi finixerunt animo, aut umquam admisere: eademque sextas difficultatibus inextricabilibus annotat Volius in Theologia Naturali P. I. §. ccxcii. & ipse Petrus Bælius in Dictionario Historico Critico in Notis ad Argumentum Zenonis. Locum illi accipiebant, qui proprio spectat ad corpora extensa: quo videlicet corpus alterum ita continetur, & circumscriptitur superficie alterius corporis, ut totum toti commensuretur, & partes respondeant partibus. Paulo diversam non prætermittit opinionem, quæ frequentius arridet aseclis Renati Cartesii: quibus nimis id esse in loco dicitur, quod certam, ac determinatam spatii partem implet: ipsumque spatium nil aliud est, præter ipsum corpus extensum, quod extat in re, ejusque extensionem abstracte conceptam in mente. Stephanum Chauvinum consule in Lexico Philosophico secundis curis recognito, & castigato. Hocce de loco instituta questione est Thomæ Aquinatis: Angelis convenire esse in loco, quod articulis damnatis aduersatur, sed equivoce dici Angelum esse in loco, & corpus, quod est sapientissime animadversum. Quomodo enim eadem ratione corpus & spiritus, extensum, & indivisibile quæ toto genere differunt, in loco fuerint? Hinc duplice existendi in loco modum Scholæ distinguunt, circumscriptive, ut ajunt, & definitive: quo posteriore modo inquiunt, se sistere Angelos determinato loco, vel spatio præsentes, ut alteri simul spatio vel loco non adiungit; quin loco tamen continantur, aut cum extenso spatio commensurantur. Quod verbis demum immutatis amplectitur Volius, corpora inquiens esse in loco, Angelos ut in loco: ac utrumque diversum modum ab Aquinate sapienter discretum annotat pro acumine singulari quo pollebat in perlustrandis rationibus confusis. Vide memoratam Theologiae Naturalis partem primam §. M XLII. & M XLIV.

3. Nondum vero soluta, & expedita est difficultas omnis. Fundamentum illud ad examen vocat Aquinas, quo proxime Angeli definiuntur loco, sive quo præsentes determinato spatio se sistunt. Ait ille, substantiam Angelorum loco definiri, aut definito quidem spatio præsentem sisti: verum id non aliqua perfectione, quæ ipsam eorum substantiam afficiat, sed quantitatib[us] virtuali, quæ in applicatione virtutis vel in operatione consistit circa loca vel spatia. Veteres Patres, qui hoc prælacia Angelicæ ipsissimum fundamentum illustrant, bene multos proferunt Petavius Libro I. de Angelis, & Thomasinus Libro VI. de Theologicis Dogmatibus, aliquique Theologi. An ergo opinionem hanc, quam vetusti Ecclesiæ Patres tradiderunt quam amplexus est, vulgavite in Scholis Aquinas, censoria virgula notare voluerit Stephanus Tempier, Episcopus Parisiensis? Mentem suam longe dissipata aperit ipse in articulo 219. ubi hæc adjecta verba leguntur apud Dargentum, aliosque Collectores: Error, si intelligatur ita, quod substantia non sit in loco. Si autem intelligatur, quod substantia sit ratio essendi in loco; verum est, quod nusquam est secundum substantiam. Non aliud Parisensi Antistiti consilium insedisse, tesis probatissimus adest Henricus de Gandavo, qui negotio interfuit. Verba ejus accipe, quæ habentur Quodlib. II, quæst. ix., Bene dicit unus articulus ab Episcopo damnatus: quod substantia separata nusquam sunt secundum substantiam; error, si intelligatur ita, quod substantia non sit in loco: si autem ita quod substantia non sit ratio essendi in loco, verum est quod nusquam sunt secundum substantiam. . . In hoc enim concordabant omnes Magistri Theologie congregati super hoc, quorum ego eram unus: unanimiter concedentes, quod substantia Angeli non est ratio, Angelum esse in loco secundum substantiam. Multiplici pravo sensu articuli damnati sculent. Alterum detegit Sanctus Thomas verbis prima in adnimadversione adlati: produnt alterum Stephanus Tempier, & Henricus de Gandavo. Adeo scilicet perulantia ingenia delirabant, ut Angelis substantiam nusquam esse propugnarent,

In III. Sent. Tom. III.

§§

rent, propterea quod non ipsa substantia, sed operatio ad loca & spatha mundi sensibilis applicaretur. Immota, solida, & probata Aquinatis doctrina est, operationem Angelorum illud esse fundamentum proximum, quam obrem ipsi eorumque substantia sint in loco.

4. Animadversione dignus est articulus 77. *Quod si est aliqua substantia separata, quae non moveret aliud corpus in hoc mundo sensibili, non clauderetur in universo: ubi substantiae separatae operatio circa loca ad unam illam coactatur efficientiam, quae motum, scilicet localem, corporibus imprimat. Non ita Doctor Angelicus, qui in I. dist. xxxvii. quest. iii. art. 1. operationem Angelicam statuit causantem vel motum, vel lumen, vel aliquid hujusmodi. Ampliorem operationis hujusmodi notionem tradere videtur, & explanare Quodlib. I. art. 4. Si quis velit, inquiens, virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quod operari est proprius effectus virtutis; dicatur, quod Angelus est in loco per operationem, ita tamen quod per operationem non intelligatur sola motio (damnatus articulus innuitur, rejiciturque) sed quocumque unitio, qua sua virtute se corpori unit, praesidendo, vel continendo, vel quocumque alio modo. Pro hac amplitudine operationis Angelicae, sive quae exteriorem effectum producit, sive quae Angelum peculiari quadam imperii practici directione, quocumque demum explicetur modo, ad hujus universi corpora, ad loca, ad spatha, absque ullo effectu exteriore, adplicat, stat Dominicus Bannez in Commentario, ubi sic ait: In hac opinione nomine operationis non intelligunt tantum motum aliquem realem receptum in corpore, sive mutationem aliquam; sed quemlibet etiam contactum Angelicae virtutis, qui se habet per modum operationis, & actus secundi: v. g. quia Angelus praesidet tali loco, quia custodit, quia continet, & defendit; ut si de tineret lapidem in sublimi, diceretur esse in lapide, & tamen nullam mutationem realem exerceret circa lapidem. Has ego Doctorum opiniones in medio relinquo. Collendum vero 1. operationem, quam constituit Thomas rationem proximam, ut Angeli definitur loco, latiorem esse mutationem dumtaxat locali, quam thesum damnatarum adsertores unam enunciant. Collendum 2. haud Angelis potestem inesse, ut sint ubique, vel se ad omnia spatha aut loca sistant praesentes: propterea quod eorum operatio, quam virtualiter transeuntem vocant, sive quae motum aut mutationem inferit, sive quae in actuали praesentia, custodia, defensione, detentione, aut simili quoppiam modo consistit; limites habet intra certam, ac definitam quodammodo spheraem. Hinc fortasse rejicienda omnino videtur nonnullorum, qui Cartesiani audiunt, opinatio, quae staruit, Angelos loco vel spatio sola eorum cogitatione sibi presentes, & adesse.*

5. Verba sunt Divi Thomae in I. dist. xxxvii. quest. iii. art. 1. ad 4. *Non reputo inconveniens, quod Angelus sine loco possit esse, & non in loco (leg. & possit non esse in loco) quando nullam operationem circa locum habet. Nec est inconveniens, ut tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur: sicut etiam non est inconveniens, quod nullo colore coloratus dicitur. Sed hoc tamen non est imaginabile (sicut nostrae imaginationis vim excedit; & quae imaginatio continuum (& sensibilia) non transcendent. Cur enim loco & spatio, quae ad extensa corpora pertinent, obnoxii fuerint Angelii, qui corpore, & partibus, & conditionibus materialibus carent? Angelum velle obnoxium loco, perinde foret ac ipsum aliquo velle colore coloratum. Quod si ergo nullam operationem circa locum habeant Angelii, miratio subeat nulla, si nusquam, vel in nullo esse loco dicantur. An ergo inde exculpas, non eos in universo claudi? Insanum conjectarum est, quod in articulo damnato elicitor: a quo longe abhorret Sanctus Thomas. Annuit ille, non operantes Angelos non claudi universo, vel aliqua universi parte, tamquam loco: simulque docet claudi universo, seu ad universum pertinere tamquam partes, quae cum sint spiritales & inextensae, loci extensi necessitate ac lege debent esse immunes. Verum, tametsi denique nihil prohibeat Angelos non esse in loco, si voluerint: (verba sunt Doctoris Angelici quest. iii. de Potent. art. 19. ad 2.) semper tamem sunt in loco propter ordinem, quo creatura spiritalis praesidet corporali, secundum Augustinum Libro III. de Trinitate capite v. Hae sunt innoxiae Thomisticæ doctrinæ dogmata.*

6. Theologorum plerique illud etiam in damnatis articulis dignum reprehensione existimant, quod in eisdem duplicitis Angelorum loci prætermissa, aut rejecta notio videtur: alterius connaturalis, ad quem per operationem pro liberi arbitrii nutu sese applicant, ac sicuti praesentes Angelii: & violenti alterius, cui possibilibus divinae omnipotentiae modis alligantur dæmones, damnataque spiritus. In illo fundamentum localis praesentiae est operatio: in isto videtur passio, quam silentio premunt, aut rejectam indicant damnatorum articulorum Auctores.

7. Commentia jam plura innotescunt, in ea Philosophorum, seu Theologorum controversia, quæ de locali Angelorum praesentia agitari solet, ab imperitis hominibus excogitata, a Sancto Thoma convulta, ac Parisiensis demum censuræ decreto damnata. Hisce vitiis immunis, cortice tenuis, videtur articulus 104. *Quod substantiae separatae sunt alicubi per operationem, & quod non possunt moveri ab extremitate in extremitatem, & in medio, nisi quia possunt velle operari aut in medio, aut in extremis. Sub fano utique cortice caries & putredo latet. Unam scilicet Adsertores articuli operationem intelligebant, quae motum localem infert, ut superius num. 4. adnotavimus, vel ita loco adesse Angelum operantem constituebant, ut operario quidem loco definita foret, loco tamen prorsus immunis Angeli substantia persisteret, & nusquam esset, ut num. 3. observatum est. Quæcum ita se habeant, nimia certe confidentia illos egisse constat, qui Parisensem Stephanum*

Tempier censuram adhibuere, ut in invidiam innoxia quedam theologica, aut philosophica ab Aquinatu tradita documenta traducerent. Steterunt in Censuræ cortice, pravo penitiose sensu neglecto, vel astute prætermisso.

V. Quid vero tam integrum fuerit, & innoxium, & candidum, in quo liquidus oculus vitia, naves fortesque non videat? Præjudiciis occupatae mentis hallucinationes hæc tenus non patitas animadvertisimus: sed alia præsto sunt exempla.

Ex Censura Parisiensi. Ex S. Thoma P. I. quest. LXXXV. Art. 7.

124. *Quod inconveniens est, ponere aliquos intellectus nobiliores alii: quia cum ista diversitas non possit esse à parte corporum, oportet quod sit à parte intelligentiarum; & sic animæ nobiles, & ignobiles essent necessariae. Unusquidem modo ex parte intellectus, qui est perfectior. Maior diversarum specierum, sicut intelligentia. Error: quia sic anima Christi non esset nobilior anima Judæ.*

187. *Quod nos pejus, aut melius intelligimus; hoc provenit ab intellectu passivo. Quem dicit esse potestiam sensitivam. Error: quia hoc ponit unum intellectum in omnibus, & æqualitatem in omnibus animabus.*

Dicendum, quod unus alio potest eamdem rem melius intelligere, quia est melioris virtutis in intelligendo... Hoc autem circa intellectum contingit dupliciter. Unusquidem modo ex parte intelligentiarum, qui est perfectior. Major diversarum specierum, sicut intelligentia. Error: quia sic anima Christi non esset nobilior anima Judæ. appareat in his que sunt secundum speciem diversa. Cuius ratio est, quia actus & forma recipitur in materia secundum materiæ capacitatem: unde cum etiam in hominibus quidam habeant corpus melius dispositum, sortiuntur animam majoris virtutis in intelligendo... Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget ad sui operationem: illi enim in quibus virtus imaginativa, & cogitativa, & memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum.

Animadversiones.

I. Pugna est manifesta Thomæ doctrinam inter, & Articulum 124. In isto veluti inconveniens adseritur quod aliqui ponantur intellectus nobiliores alii: Thomæ vero sententia est, unum intellectum melioris esse virtutis posse præ alio in intelligendo, ac inter homines meliorem sortiri aliquos animam, & majoris virtutis. Damnatus articulus inficiatur, hanc nobilitatis diversitatem deponit quod sit à parte corporum: immo vero docet Aquinas, quanto corpus est melius dispositum, tanto meliorem sortiri animam. In eodem articulo impotissime enunciatur prefatum nobilitatis discrimen, quin simul animarum, quae nobiles & ignobiles essent, diversæ constituantur species: præter nobilitatem ex diversitate speciei ortam in Angelis, majorem statuit Doctor Angelicus, minoremque animorum rationalium perfectionem, ex principio individuationis desumptam, ex corpore scilicet melius disposito: quod ille confirmat dissertissimis verbis ad 3. Dicendum, inquit, quod differentia formæ, quae non provenit nisi ex diversa dispositione materiæ, non facit diversitatem secundum speciem, sed solum secundum numerum: unde quæ inde profuit ejusdem formæ perfectio non est specifica, sed conditio individualis. Bene & optime cohærent omnia in vulgato Philosophia sistemate, in quo rationalis animus, aut mens ita corpori organico præsidet, ut ejusdem forma etiam substantialis, & actus, & intima entelechia habeatur.

2. Adhuc alia patet origo, ex qua diversa, auctore Thomæ, exoriri virtus & perfectio potest in intelligendo. Verba ejus sunt. *Alio modo contingit hoc ex parte inferiorum virtutum, quibus intellectus indiget (in hoc statu unionis) ad sui operationem. Illi enim in quibus virtus imaginativa, & cogitativa, & memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum. Hujus originis mentio nulla in Articulo 124. ubi intellectus nobiliores alii, quod attinet ad rationales animos hominum, universum pernegantur: eademque proferunt una in articulo 187. ubi potentiam sensitivam scite adnotat. Ad hoc censuræ, vocari intellectum passivum. Originem utramque præ suo ingenii acumine, conjungit Sanctus Thomas, ac utramque sapientissime illustrat.*

3. Sed Averroisticam denique labem, qua idem articulus inficitur adjecta Censoris verba denunciat: error, inquietus, quia hoc ponit unum intellectum in omnibus. *A prima intellectiva rejecta, hominem compingebat Averroës ex corpore, & anima sensitiva, eademque mortali, tribus facultatibus prædicta, scilicet cogitatrice seu phantasia, affectatrice, & memorativa, quas in homine ob maiorem præ anima brutorum perfectionem, vocabat rationem particularē, & intellectum passivum. Addebat, intellectum agentem (inter separatas intelligentias infinitas) immortalē, æternū, hominibus adhuc sentientem non multiplicem pro singulis eorum, sed unum in omnibus, proque diversa potentiæ sensitivæ conditione diversimode participatum. Consult Jacobum Bruckatum in Historia Critica Philosophia Tomo III. Impia & absurdæ doctrina hæc maxime in-*